

focium se, & Discipulum exciperet. Re-
nuit Jesus, iussitque ad propria reversum,
beneficium à se divinitus acceptum palam
omnibus edicere (q).

q Mar. 5. 18.
20. Luc. 8. 38.
40.

Filiam Jairi ad vitam revocat.

Mari transfretato, à turbis exceptus
est, nec longè offendit Jairum Prin-
cipem Synagoga Capharnaum, rogantem
ut veniens puellam filiam suam unicam,
duodennem sanitati restitueret. Acquies-
cens Jesus domum viri petebat [r], atque
interim mulier sanguinis fluxu laborans
clam vestimentorum illius simbriam, non
sine prompto ex contactu remedio, te-
tigit. Clam hæc omnia; sed Jesus palam
omnibus manifestavit, ne & mulieris il-
lius fides, & Dei virtus suâ gloriâ frau-
daretur (s).

r Mar. 5. 22.
25. Luc. 8. 41.
42.

s Matt. 9. 20.
22. Mar. 5.
25. 34. Luc. 8.
43. 48.

Iter autem prosequentibus occurrerunt
famuli Jairi, triste de obitu puellæ nuncium
asserentes. Bono tamen animo esset pater,
Jesus præcepit, ingressusque cum tribus ex
Discipulis domum, recedere iibicines, qui
funeri celebrando aderant, imperavit. Di-
gressis igitur omnibus, ipse non magno
sanè negotio filiam revocavit ad vitam,
allatisque cibis refici, ac tandem miracu-
li famam supprimi mandavit (t).

t Matt. 9. 18.
26. Mar. 5.
35. 43. Luc.
8. 49. 56.

Duo cæci in Nazareth curantur.

Ibat Nazareth patriam suam (u) cum
Discipulis, euntemque duo cæci profe-
cuti, ut valetudini restituerentur enixè
rogabant. Cum interim domum venisset,
num crederent sibi virtutem esse morbum
illum curandi interrogavit. Affirmantes ma-
nu suâ tetigit, tactumque continuò vale-
tudo secuta est. Jubenti ne cui rem pro-
derent parère recusarunt longè latèque
famam prodigi evulgantes [x].

x Matt. 9. 27.
31.

Sub idem ferè tempus Dæmoniaco lo-
quendi facultate carente valere iusso, ansam
præbuit Phariseis obtrestandi, quasi sci-
licet accepta à Beelzebub virtute polleret (y).

y Matt. 9. 32.
33. 34.

Dæmoniaco mutus curatur. Je-
sus in Synagoga Nazareth.

Aderat die Sabbati in Synagoga Je-
sus omnium plausu & admiratione
exceptus; sed natalium ipsius obscuritas
obtrestandi nonnullis dabat occasionem,
querentibus invicem: Nonne hic est filius
fabri? Mater ejus appellatur Maria ejus-
que apud nos fratres & sorores diversan-
tur (z)? Jesus igitur ex Urbe digressus
nunquam rediit, simul pronuncians, ne-
minem è Prophetis in Patria sua pro-
bari.

z Matt. 13. 54.
58. Mar. 6. 1.
5.

Discurrit autem per vicos, & pagos Ga-
lilææ, ubique prædicationum suarum, &
prodigiorum monumenta relinquens.

A. M. 4035. Per Jul. 4745. J. C.
35. Aera Vulg. 32.

Uberrima messis. Apostoli ad fidem
annunciandam mittuntur.

Cum audio verbi Dei audiendi tene-
ri populos Jesus intelligeret, Apo-
stolis significavit, uberem quidem messem
suppetere, eâ autem laborari messorum pau-
citate, ut, quò novos etiam atque etiam
mitteret, Paterfamilias enixè fuerit rogan-
dus. Simul autem Discipulos suos binos
binosque per diversa regionum loca dimi-
sit, patratorum miraculorum facultate
donatos, oneratos insuper mandatis, nequid
secum ferrent commeatus, non arma, non ves-
tes mutatorias, non geminata sandaliorum
paria; sed ire iussit, annunciare Judæis qua-
cumque vera de Regno celesti scirent, ca-
verent autem ne quid proderent Gentili-
bus, vel Samaritanis dignissimorum do-
mos & religiosissimorum eligerent in sedem,
ibique non desultorio more, ex una in
alteram desectentes, quandò in loco mo-
rarentur, considerent. Si quis verò, ait, è
loco quopiam vos prohibuerit, excusso prius
in illos calcamentorum vestrorum pulve-
re, discedite (a). Plura etiam adjecit eâ
occasione dignissima planè atque utilissima,
quæ Matth. 10. 17. 42. legas.

a Matt. 9. 36.
37. 38. & 10.
1. 17. Mar. 6.
7. 11.

Prædicatio & miracula Apostolo-
rum.

Novo munere aucti Apostoli regionem
undique discurrerunt, prædicationi-
bus ubique suis & prodigiorum gloriâ
clarefcentes. Sequebatur eorum veluti re-
legens vestigia Jesus, ad eas Urbes di-
vertens, quas Apostoli antea præcurre-
rant (b).

b Matth. 11. 1.
Mar. 6. 12.
Luc. 9. 6.

Obitus Joannis Baptista.

Sub idem tempus, Joannes Baptista,
iussu Herodis Antipæ, instigante Sa-
lome filiâ Herodiadis, quæ scitâ saltatio-
ne oculos Principis cœperat, obtruncatus
est (c).

c Matt. 14. 10.
12. Mar. 6.
14. 30. Luc. 4.
7. 8. 9.

Redarguit Urbes Bethsaidam, Coro-
zaim & Capharnaum.

Post decursam regionem, relictaque
altè miraculorum suorum ubique in-
urbibus, potissimum ad mare Tiberiadis,
vestigia, illarum incredulitatem pluribus
redarguit, exprobrans futurum, ut, si Ty-
rius & Sidonis ea affulsissent prodigia,
quæ incolis Bethsaidæ, Capharnaum, &
Corozaim, diù antea rectum virtutis tra-
mitem tenuissent (d).

d Matt. 11. 20.
21. 22. 32. 24.

He.

Herodes suspicatur Joannem Bap-
tistam iterum in Jesu Christo
ad vitam rediisse.

e Mar. 14. 1.
2. Luc. 7. 7. 9.
Mar. 6. 14. 16.

Perlata ad aures Herodis prodigiorum
Jesu Christi famâ, revocare cœpit in-
mentem, num sub Christi personâ Joan-
nes Baptista iterum ad vitam remeasset (e).

Apostoli è missione sua regre-
diuntur.

f Mar. 6. 30.
Luc. 9. 10.

Undè munere suo Apostoli, certiore
de omnibus Jesum Christum facturi
venerunt (f). De omnibus Patri suo gratias
egit Jesus quàm maximas, totumque
denique mundum, ut collum jugo suo sub-
mittat, suaque relegat vestigia, invita-
vit (g).

Jesus recipit se trans lacum Ge-
nesareth.

h Matt. 14. 13.
Mar. 6. 31. 32.
33. Joan. 6. 1.
2. 3.

Certior factus Jesus omnium quæ He-
rodes de ipso diceret, in deserta unâ
cum Discipulis ad quietem aliquam cap-
tandam se contulit. Cum verò affluentibus
undique turbis aded premeretur, ut ne
capiendi quidem cibi opportunitas daretur
navigium cum Apostolis ingressus, lacu
Genesareth trajecto, in montem aufugit (h).
Pedestri itinere circumeuntes turbæ in
deserto Bethsaidæ ipsæ pariter venerunt.
Descendens autem è monte Jesus, misera-
tionè tactus ægrotos omnes curavit, do-
cendosque populos suscepit (i).

Jesus Christus 5000. hominum pa-
scit.

i Matt. 14. 14.
Mar. 6. 34. Jo.
6. 4. 5. 6. 7.

Lapsâ jam capiendi cibi horâ, & in-
clinante in vespem die, suggerebant
Apostoli, ut populos tandem remitteret,
quò singuli ad vicinas Urbes divertentes,
de cibo sibi providerent. Sed Jesus nihil
esse dixit cur irent, sufficerent ipsi singu-
lis cibos. Rogavit deinde quot secum de-
tulissent panes; & cum quinque panes &
gemini pisces præsto esse renunciarentur
confestim accumbere populum & singulis
ex eo commeatu distribui necessaria præ-
cepit. Illico omnia; ciboque refecto popu-
lo (turba erant hominum ad 5000. nec
fœminis nec pueris computatis) duodecim
canistri ex reliquiis collecti sunt (k).

k Matt. 14. 15.
21. Mar. 6. 35.
44. Luc. 9. 11.
17. Joan. 6. 8.
13.

Jesus & S. Petrus super aquas gra-
diuntur. Capharnaum perve-
niunt.

Subeunte vespere, probè nocens Jesus
consilium agitare populum de concilian-
da illi regia dignitate, coegit Discipu-
los conscenso navigio lacum trajicere.
Turbam itaque dimisit, ascensoque monte

vacavit orationi. Interim Apostoli in me-
dio lacus contra resflantes ventos averfos-
que fluctus luctabant; nec longiùs à lito-
re quàm 25. vel 30. stadiis aberant, cum
Jesus super undas gradiens prætergressu-
rus navigium videbatur. Illi primò intui-
tu phantasma rati timerunt; sed ejus vo-
cibus confirmati sunt. Tunc Petrus Domi-
ni voce auditâ rogavit, ut, bonâ illius veni-
niâ, super aquas gradiens eò venire per-
mitteretur. Annuente Jesu, illico se ma-
ri Apostolus commisit; sed fluctus seu im-
manis cujusdam vorticis objectu turbatus,
jam demergebatur, cum vocis clamore acci-
tum Jesum præsto habuit, manumque, ne de-
mergeretur, sustentatus est. Rogantibus au-
tem Discipulis, navigium Præceptor con-
scendit, statimque ad litus delati sunt (l).

l Matt. 14. 13.
34. Mar. 6. 47.
53. Jo. 6. 16. 21.

Volebant Discipuli iter Bethsaidam
versus dirigere; sed adverso vento prohibi-
ti, Tiberiadem primùm, inde Capharnaum
appulerunt.

Inter hæc, turbæ autumantes mansisse Je-
sum in deserto Bethsaidæ; quippe quæ no-
rant navigium unâ cum Discipulis non
conscendisse, mane alterius diei sedulò vi-
rum perquirebant, ut inventum tandem
Regem constituerent. Sed nautarum Ti-
beriadæ adventum relatione comperto
eò loci venisse, aënotum Tiberiadem con-
volarunt. Cum interim Jesus eo temporis
intervallo Capharnaum divertisset; vene-
runt illi pariter Capharnaum, nactumque
in Synagoga ejusdem Urbis Jesum inter-
rogarunt, quò illuc petiisset. Quibus Je-
sus quæri se ab illis significavit non pro-
digiorum suorum causâ, sed præstite pau-
lò ante alimonæ: monere tamen se, ut
incorruptum alium optarent cibum; addens
se panem esse cœlestem, alium sanè à man-
na per Moysem parentibus eorum collatâ.
Durius ea verba exceperunt turbæ; offen-
debanturque maximè, quòd Fabri filius
talia de se usurparet. Cœptum tamen ser-
monem prosequens Jesus, quantum esset
discriminis inter mannam illam & panem
à se oblatum, etiam atque etiam demonstra-
vit; declarans insuper suam carnem verum
esse cibum, & sanguinem reapse in potum
exhiberi. His ejus sermonibus offensi Di-
scipuli plerique, ejus sequelæ renuncia-
runt. Quæsit tunc Jesus ab Apostolis,
an ipsi pariter abirent; cui Petrus se cœ-
terosque nusquam recessuros ab eo, qui
vitæ æternæ verba loqueretur, significavit;
persuasum verò habere omnes, ipsum esse
Christum Filium Dei vivi. Tunc Jesus se
quidem ait duodecim illos elegisse, sed
in eorum numero proditorem suum agno-
scere; Judam scilicet Icariothem signifi-
cavit (m).

m Joan. 6. 22.
71.

Tertium Pascha in Evangelio ex-
pressum post Baptismum J. C.
A. J. C. 35. Aera Vulg. 32.

Adducebantur undique ad Jesum in
Capharnaum ægroti, nec abibant in-
curati; sed non diu post ille ad Pascha
Jerosolymam se contulit.

Re.

Rediit demum in Galilæam, nec infausto pro languentibus omine; siquis enim vestimentorum ipsius oram tantummodo tangere permitteretur, continuò integrâ valitudine donabatur (v).

q Matt. 14. 136.
Mar. 6. 56. 57.
Joan. 7.

Scandalum Phariseorum, quòd Discipuli illotis manibus cibum capiant.

Phariseorum Scribarumque nonnulli, qui è Festo Paschali Jerosolymâ redierant, cum receptam apud Judæos manus ante cibum lavandi traditionem minus sanctè à Discipulis Jesu servari animadvertissent, querelas eâ de re suas ad Jesum detulerunt. Sed ille vicissim hypocritis illis exprobravit; quippe qui potissimis & majoris momenti Legis præceptis neglectis, illo maxime, quo colere parentes jubebantur, traditionibus suis unice studebant (o); accitisque dein turbis palam edixit, hominem inquinari, non iis quæ per os demittantur, sed iis quæ inde emitterentur; tacite hinc designans, maculas illas legales de se quidem nihil inquinamenti in animam inferre (p).

o Matt. 15. 1.
4. Mar. 7. 1.
9.

p Matt. 15. 10.
14. Mar. 7.
14. 15.

Scandalum Phariseorum.

Cum è populo se recepisset, narrantibus Apostolis Phariseos durius ejus verba accepisse, *Sinite*, respondit ille, *caecos duces caecorum*. Adjecit, plantam omnem ab alio quàm à Patris sui caelestis manu confitam tandem eradicandam. Cum Discipuli minus se affectos dicerent sensum illorum verborum, nihil scilicet eorum, quæ per os demitterentur, hominem inquinare, ostendit, omnia quæ per os mittuntur in stomachum, decoqui; tum quæ minus alendo corpori apta fuissent, per feces abire; cum interim quæ ex ore hominum egrediuntur è corde procedant; atque criminis reum hominem constituant; uti jurgia, mendacia, prava cogitationes, concupiscentiæ, & omnia tandem inhonestâ (q).

q Matt. 15. 15.
20. Mar. 7. 18.
19. 23.

Filia mulieris Chananae curatur.

Majo ineunte, ad finitima Tyri & Sidonis iter inivit, latendi occultandique se gratiâ; brevè tamen proditus est. Accurrit statim mulier Chananaea, filia sue postulans sanitatem, quam primò Jesus censuit rejiciendam; sed eâ clamante, rogantibusque Apostolis ne miseram despiceret, respondit Jesus, non venisse se nisi ad errabundas domus Israel oves reducendas. Cum tamen domum venisset, & ante pedes proclatam foeminam haberet, rogantem ut voti compos tandem efficeretur; respondit ille quidem primò, iniquum esse panem filiorum dari canibus; sed reponens illa, micæ quandoque è mensa heri decidentis catellis permitti, tandem merito fidei suæ & admirationem & sanitatem à Jesu extorsit. [r].

r Matt. 15. 22.
28. Mar. 7.
25. 30.

Vir surdus & mutus curatur.

Cœptum iter per Sidonem, & Decapolim proficiens, inde ad mare Galilææ deflexit. Olatum sibi hominem surdum, mutumque seorsum ab aliis deducens, positus in auribus ejus digitis, atque salivâ suâ delinitâ linguâ, duplici morbo liberum dimisit (s).

s Mar. 7. 32.
35.

Septem panes cum pisciculis quibusdam multiplicantur.

Triduum in monte egit, cum interim plurima ægotantium multitudo ad radices montis, ejus descensum opperiebantur, quos omnes morbis liberavit. Quòd autem turbæ adventum suum triduo sustinissent, significavit Discipulis, iniquum esse illos jejunos in domos suas dimittere. Arctior illis erat septem panum & pisciculorum quorundam comineatus; qui ut omnibus sufficeret (ad 4000. ascendent, sceminis, & pueris ab eo numero exclusis) insigni prodigio à Jesu multiplicatus est. Ex reliquiis collecti septem canistri (t).

t Matt. 15.
32. 39. Mar. 8.
1. 20.

Signum Jonæ Prophetae Phariseis promissum.

Consenso statim navigio, Magedan, in regione Dalmanuthæ locum ad litus ejusdem maris, sed meridionalem magis, venit. Opperiebantur ibi ejus adventum Pharisei, & Saducæi, signum de Cœlo aliquid ab eo rogaturi. Quibus Jesus mirari se dixit, cur ipsi, qui varias Cœli facies noscere, vicisque aeris distinguere profiterentur, non satis tamen artem callerent temporis distinguendi, atque legendi characteres veri Prophetae, quos ipse in se præfererebat. Professus est tandem, nullum aliud signum habere, quàm signum Jonæ Prophetae; relictisque actutum illis, maritimo itinere Bethsaidam urbem ad oram septentrionalem lacus Genesareth contendit (u).

u Matt. 15. 39.
& 16. 1. 5.
Mar. 8. 10.
13.

Fermentum Phariseorum, Saducæorum, & Herodis.

Cum Apostoli comite sibi providere neglexissent, in adversam lacus ripam nonnisi unicum panem detulerunt. Qua occasione Jesus cavendum illis edixit à fermento Phariseorum, Saducæorum, & Herodis. Hæc ille quidem de noxiis illorum dogmatibus usurpavit. Sed Discipuli de pane reapse dicta arbitrabantur. Quare Jesus imbecillitatem fidei exprobravit, revocans in memoriam duplex illud prodigium, quorum ipsi testes oculati fuissent; aliud nempe quo brevi quinque panum annonâ 5000. hominum pavisset; alterum quo 4000. septem panibus aluisset. Tunc

Tunc denique affecti sunt Apostoli, figuratâ illâ loquutione moneri se, ut à doctrina Phariseorum, Saducæorum, & Herodianorum caverent (x).

x Matt. 16. 4.
12. Mar. 8. 13.
21.

Cæcus curatur Bethsaida.

Bethsaidam Urbem ad ripam septentrionalem lacus appulit, ubi cæcum natum extra urbem deduxit, tunc linitis salivâ ejus oculis, manibusque impositis, virum rogavit, num aliquid videret? Significante illo, cernere se homines velut arbores inambulantes, Jesus iterum manu oculos tetigit, quod præsentissimo fuit viro illi collyrio. Sanus ergo remissus est, mandatis prius oneratus, ne rem illam cuiquam proderet (y).

y Mar. 8. 22.
26.

S. Petrus Messiam esse Jesum Christum confitetur.

Relictâ Bethsaidâ, & longius in plagâ meridionali, quâ parte Casaream Philippi respicit, excurrrens, accidit quadam die, dum seorsum cum Discipulis orationi vacaret, ut ab ipsis Discipulis quæreret, quid de se homines sentirent. Respondentibus illis, ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, Joannem Baptistam, vel unum ex Prophetis ad vitam regressum reputari; iterum Jesus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Tunc Petrus: *Tu es, ait, Christus Filius Dei vivi*. Egrogiam viri confessionem non laudavit tantum Jesus, sed & pollicitus est super ipsum, qui petra esset, se constituturum Ecclesiæ ædificium firmum aded, ut nullis Infernorum viribus deiceretur; datorum insuper in ejus potestatem claves Regni Cœlorum, ut quos ipse in terris ligaret, vinciretque, ipsi pariter in Cœlo solverentur ligarenturque: *Præcepit tamen, ut nemini dicerent quia ipse esset Christus* (z).

z Matt. 16. 13.
20. Mar. 8.
27. 28. Luc. 9.
18.

Quæ sibi toleranda essent Jesus C. prædicat.

Cœpit autem Jesus, quæcumque se manerent Jerosolymis mala, Apostolis suis pandere; quod Petrus minus ferens, seorsum deductum Magistrum affatus: *Ab sint à te ista, inquit; sed Jesus ad ceteros Apostolos conversus, durè Petrum redarguit, verbis illis: Vaude retro Satanâ, scandalum mihi es*. Tum accitas turbas ita est allocutus. Si quis mihi comes accessurus est, ille sibi ipsi renunciet, atque eruci humeros subjiciens, mea relegat vestigia. Qui etenim studio servandæ vitæ suæ tenetur, ipsam perdet; quique vicissim mei gratiâ perdiderit, servabit. Qui ad nominis mei confessionem coram hominibus erubuerit, ego pariter illum erubescam, cum venero in majestate mea & Patris & Sanctorum Angelorum. *Dico vobis verè: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint Regnum Dei* (a).

a Matt. 16. 21.
28. Mar. 8.
31. 39. Luc. 9.
22. 27.

Transfiguratio Domini.

Post sex ab eo sermone dies, Jesus è Discipulis suis tres, Petrum, Jacobum, & Joannem seorsum in montem deduxit; & cum per quietem noctis totus in precibus resolveretur, insuetâ statim luce, fulgentibusque ac candentibus instar nivis vestibus resplenduit. Alto sopore detinebatur Apostoli: quo tandem excusso, oculati testes transfigurationis Magistri sui facti sunt. Adfuerunt ibi pariter Moyses & Elias, sermonem cum Jesu de futura ejus nece Jerosolymis tolerandâ miscentes. Lætitia extasi extra se factus Petrus, nec satis quæ diceret animadvertens, proposuit Jesu, num vellet tria ibi fabricari tentoria, quorum alterum ipsi Jesu, secundum Moysen, reliquum Eliæ cederet. Dum hæc Petrus loqueretur, evanescentibus omnibus, nubes subitè Discipulos obumbravit. Tunc audita de Cœlo vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*. Ad ejus vocis tonum subito terrore obriguerunt Apostoli; sed à Jesu confirmati, inter descendendum exorto jam die, jussi sunt nemini usque ad Resurrectionem visionem illam revelare (b).

b Matt. 17. 2.
9. Mar. 9. 1.
8. Luc. 9. 18.
36.

Elias in Joannis persona venit.

Quæ à Jesu de futura ejus resurrectione audierant Apostoli, nec plane affecti, in causa fuerunt, cur illi familiaribus inter se colloquiis eâ de re disceptarent. Quare Jesum interrogarunt, ut quid igitur docerent Scribæ futurum, ut ante resurrectionem Elias veniret? Respondit Jesus, pariturum quidem quasi novissimæ diei prænuncium Eliam, ut omnia restitueret; venisse tamen ipsum in spiritu Eliam in persona Joannis Baptiste, quem Judæi excipere recusassent, & pro arbitrio sanctissimum virum traduxissent; nec aequiores illos pariter in filium hominis futuros (c).

c Matt. 17. 9.
13. Mar. 4.
9. 13.

Curatio pueri lunatici, muti & demoniaci.

Quæ noctem transfigurationis excepit, aurorâ Jesus è monte unâ cum tribus Discipulis descendens, venit ad reliquos Discipulos, qui magnâ animi contentione in medio frequentis populi cum Scribis disceptabant; quòd scilicet valetudini restituere hominem lunaticum pariter & epilepticum, mutum tandem ac Dæmoniacum non valuissent. Vix dum prospectum ad Jesum omnes accurrerunt, & inter ceteros pueri parentes, ut agritudini filii sui subveniret rogabant. Quibus Jesus: *O generatio infidelis & perversa, usquequo*